

M. TULLII CICERONIS
ORATIO IN L. CATILINAM

PRIMA.

HABITA IN SENATU.

I.—I. ¹Quo ūsque tandem abutēre, Catilina, patientia nostra? Quam diu ²etiam ³furor iste tuus ⁴eludet? ⁵Quem ad finem sese effrenata ⁶jactabit audacia? ⁷Nihilne te nocturnum praesidium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt. Patēre tua consilia non sentis? ⁸Constrictam ⁹omnium horum scientia teneri conjurationem tuam non vides? Quid ⁹proxima, quid superiore nocte ēgeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem ¹⁰nostrum ignorare arbitraris? 2. O tempora, O mores! senatus haec intellegit, consul videt: hic tamen vivit.¹ Vivit? immo vero etiam ²in senatum venit, fit publici consilii particeps, ³notat et designat oculis ad caedem unum quemque nostrum. / Nos autem, ⁴viri fortes, satis facere rei publicae ⁵videmur, si istius furorem ac tela ⁶vitemus. — ⁷Ad mortem te, Catilina, duci jussu consulis jam pridem oportebat, ⁸in te conferri pestem istam, quam tu in nos machinaris. 3. ¹An vero vir amplissimus, P. Scipio, pontifex maximus, Ti. Gracchum, mediocriter labefactantem statum rei publicae, privatus interfecit: Catilinam orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem, nos consules perferemus? Nam ²illa nimis